

BARBARÆ HVBNERIÆ,  
Suavissimæ,

5  
Virgineiq; pudoris ad exē-  
plum planè Castissimæ  
Puellæ,

Reverendi ac Doctissimi Viri,  
**JOHANNIS HUBNERI,**  
Archidiaconi Strelensis fideliss.  
F I L I Æ,

quam  
Mors Immatura

*Ex Vita hac conducticia  
ad perpetuam & cœlestem  
transtulit*

A N N O  
M. DC. XII

Die xxi Februarij.

M E M O R I A

---


Dies mortis æternæ vitæ natalis est.

SI benē nos homines illo-cum  
actum esse putamus,  
qui cum terrestri vivere rege-  
potest.

Iam fruitur longē meliori vestra,  
Ioannes,  
Gnata statu, in cœlis cum Duce  
semper ovans!

Nūc pro tristitia plausus, pro mor-  
te perennem  
Vitā, proq; malis optima quæ-  
que tenet.

Georgius Heinricus Liber Baro  
à Wirben, & Freudenthal  
in Leypnick.



βεαχυθοίησ

**V**ita quid est hominum? series nisi densa malorū,  
Lernaq; terrificis undiq; cincta malis.  
Vita fugax hominum, somnoq; simillima, transit  
Mortalis cursus more fluentis aquæ.  
Quàm citò secta cadunt viridantis gramine campi,  
Tam citò, vix primum cognita, vita fugit.  
Non secus auricomō rosa quæ florescit in horto,  
Vespere marcescens adveniente cadit.  
Palmæ instar spaciū patet hujus temporis ætas,  
Et veluti nullo quæ manet umbra loco.  
Garrula vivendo tot complet tempora cornix  
Annorumq; aliquot secula cervus habet.  
Humanæ brevis est vitæ concessio, punctum est  
Temporis exigui, quàm breve vita bonum.  
Exemplar nobis esto dulcissima neptis  
Virgo, carens omni, BARBARA, barbarie  
Vix tria lustra tibi, cita Mors cùm falce metit te,  
Debita naturæ sic numeranda tuæ.  
Vita tibi melior cœlesti in sede reposta est,  
Salvatore ipso quam præeunte capis.

A 2

Dic

Dic mihi, num mavis Mundi traducere vitam?  
Libera an ærumnis vivere in arce poli?

M. Nathanaël Tileſius P. L. C.  
Ecclesiarum Liberi Baronatus Militensis  
Pastor & Superintendens.

Naçamúðior

F Alces suā ut messor detondet gramina prati  
Nec florū suavi flectitur intuitu  
Procurvā sic falce ferox mors demetit omnes  
Quoscunq; ex Adæ semine gestat humus.  
Haud tamen æternū flores & gramina marcent,  
Perpetuō haud fusis prata carentq; comis:  
Ver redit, & rutilo surgit Sol aureus igne,  
Cæruleusq; rudes irrigat imber agros  
Graminibus latis hinc rursus prata virescunt,  
Vestitur tellus floribus atq; novis.  
Sic non æternū nobis dominabitur, aut his  
Quos tulimus Christo, floribus, atra dies:  
Ver instat quò nos necis ex marcore solutos  
Flore & odore novo Christus ab axe beet.  
Quàm benè fragrabunt sanctorum corpora tūm, cùm  
Peccati & mortis fetor abactus erit  
Quàm tūm gaudebunt electorumq; cohortes:  
Mors his cum fuerit non metuenda magis.  
Nemo ibi deformis, nemo æger & algidus: Omnis  
Flore virore sacro, leticiâq; cluet.  
Demessa ergò cadat licet hic tua filia, diræ  
BARBARA falce necis, membraq; claudat humus  
Non desponde animum: roseo fragore resurget,  
Vivet in æternâ luce, chorog; poli.

Jllie



Fllic reddetur tibi , restituetur & alma  
Matri ceu perolens flosculus ante D E U M  
Sic ergo vestrum cordis miscete dolorem,  
Spe vitæ alterius, mutui & intuitus.  
Tu vita Du x C H R I S T E, tui miserare popelli  
Ex morte in vitam nos trahere, queso, tuam.

Johannes Neomenius. Illust. aule  
Brigenſi à sacris Concionibus  
au lo X edicati.

**Q**uid nō condoleam, dilecte Adfinis, agoni,  
Cūi tua te immersit Filia morte suā.  
BARBARA Virgineas inter speciosa cohortes,  
Quas gremio retinet STRELA decora suo.  
Hei lucta hæc! si quæ miserorum lucta Parentum,  
Cumq; D E O atq; animo quæ fit acerba suo.  
Cit D E V S; at nescit dare se mens ægra cimenti;  
Sed contrā affectu pugnat anhela suo.  
Expertus loquor ipse mei tentamina cordis,  
Mors ubi C A S P A R U L U M posceret atra meum.  
Me miserum! quos non repetebam pectore questus!  
Quæ non fundebam vota precesq; D E O.  
At vicit F O R M A tamen immutata voluntas:  
Irrita vota fero; Filius umbra cadit.  
Lucta tibi similis cordis penetralia fregit;  
Et nunc est luctus causa propinqua tui.  
Filia decessit jam plenis nubilis annis;  
Iam generis fructus apta datura sui.  
Frigidus heu Sponsus calidæ mors juncta juventæ!  
Hoc Genero, nullus pignore gaudet Avus.  
Circuit hæc teneros rigidis amplexibus artus,  
Et gelido roseas terruit ore genas.  
Heu miserum mortale genus! discrimine nullo  
Lethæas sentit, nullo inhibente, manus.

Exori-

Exorimur ; morimur : mors vita ab origine penderet :

Naturae hoc vitio, tristis homulle , tuo.

Ut mors seva tamen nos impetat ordine nullo,

Et trahat audaci sub sua jura manu :

Non tamen abripimur penitus, totiqꝫ perimus :

Pars melior nostri libera morte viget.

Jungentur diae jam mortua corpora menti ;

Et vita in celo perpetuante cluent.

Reddentur nobis, quos jam periisse dolemus,

Acturi aeternos celite in arce dies.

Illuc servemus nunc anxia corda dolore,

Nullus ubi dolor est, nullus amaror ubi.

Vivunt cum superis animo-tenus æthere summo

CASPARULUS & meus, BARBARA & ista tua.

Cessite sub tenui corpuscula lapsa quiescunt,

Ad magnum summi Iudicis usq; diem.

Prædeceserunt; brevis hora ; sequemur ovantes,

Participes summi, quod super astra, Boni.

Hoc unum spectare decet; decet expetere unum hoc,

Quo-se-cunq; habeant cetera fluxa modo.

Ergo animæ ò valeant iterumq; , iterumq; beata!

Quas mors à nostris abstulit atra focis.

Nos sortes animos nostros firmemus in omnes,

Spe breve solantes non dubitante malum.

Cunctorum prope finis abest & meta malorum,

Æterniq; prope est ortus & aura boni.

Condolentis luctus ergo

l. v. q; f.

CASPAR CVNRADVS

Phil. & Mcd. D. Breslæ.

Quum

**Q**VAM summos venti emittunt summo impete fatus;  
Sidunt, & vires deposuisse solent:  
Sic homo, qvum spirat, qvum sperat maxima, s̄apē  
Occidit, atq; ipsum Mors inopina rapit.  
Vidi ego, qui summum sibi venabatur honorem;  
Et vidi adcep̄to, in crastinum, honore mori.  
Qvot, quando cupiēre opibus ditescere magnis,  
His auctis, Lethi mox obiēre diem?  
Qvot, quando magnas tentarunt exstruere ædes  
His structis, Lethi mox obiēre diem?  
Sic etiam in viridi multos ætate videmus  
Spem præter, subitò Lethi obiisse diem.  
Exemplo est nobis Tua filia, Mystra verende,  
Qvam flore in tenero Mors inopina rapit.  
Et quam nunc luges meritò; dum filia casti  
Oris & illa fuit, moris & illa fuit;  
Expertus credo, qvantus dolor ille sit, heu! qvum  
Desubitò nobis pignora Morta necat.  
Iste tamen luctus moderatior esto! fit illis  
Perbene, qveis subitò Fata subire datur,  
Effugiunt illi quas fortè subibimus ipsi  
Nos, in vitæ ista conditione, vices.  
Religio nutat puta pura, atq; undiq; gliscunt  
Hæreticæ vulpes, hæreticiq; Lupi.  
Nulla fides fermè est, candor refrixit, honestas.  
Illa vetus nimium dilacerata jacet.  
Quid multis? melius certè est placidaq; piaq;  
Morte ad cælestes hinc abiisse choros:  
Qvam nunc in tanto rerum discrimine, tanto  
Turbine, mundanas usq; videre vices.

Hoc



Hoc mecum reputas, Hübner, leuasq; dolorem  
Quem capis è Gnatæ morte obituq; Tuæ.

M. Joh. Güntherus SiL.Gr.  
Linguae in Bregéo Profes.

**O**mnia sors versat. Mors omnia mersat. At isthæc  
optima, si cito, mors, corpora claudat humo:  
Sufficit hoc, atq; hos demum benè vivere dico,  
quos mors præveniens non sinit esse senes.  
**H**oc certum credas, nec sors tamen omnia versat,  
Invideat si cùi fors sua sors, sua Mors.  
**E**s Deus in cœlis moderator & arbiter orbis  
Providus, hæc æquo temperat arbitrio.  
**S**ic HUBNERE tibi natam quam Morta videtur  
eripere, eripuit non fera Morta tibi  
**S**ed Deus in cœlis; quod vult Deus efficit, & quod  
efficit omnibus, nonne & id omne bonum est!  
**N**on semper vixisse diu laudabile, qui Te  
Nôrit Christe, satis vixerit ille diu.  
**H**oc scio, quod vix tot viuam, quot, lustra, peregi,  
Si tamen his vivam plura quid hoc! moriar.  
**T**u modò CHRISTE mihi dones post fata salutem,  
Nil moror illecebras fordide munde tuas.

F.

Bartholomæus Nigrinus  
Senior, & Pastor  
Banconanus.

Hem

soH

Em jam grandis erat, plenis jam nubilis annis,  
Iam poterat natis exhilarare Virum.  
Quò mihi tot sumitus, exantlatiꝝ; labores?  
Heu mihi jam fructus cernere tempus erat.  
Talia tu forsan tristi cum coniuge, mortem.  
Dum luges gnatæ, volvis, amice, tua.  
Desine, sat lacrymis jam sat, natæꝝ; dedistis,  
Credentum luctūs conuenit esse modum.  
Est equidem, est aliquid, generos, carosꝝ; nepotes  
Cernere, non cuiuis hoc Hübener datur.  
Est, inquam, est aliqvid, sed res qvoq; plena pericli,  
Fæmina si nubat, seu malè, sive benè.  
Nam qvoties partūi vicina est filia, matri  
Solliciti toties causa, patriꝝ; metus.  
Mortua nata semel, non iam mors amplius ulla.  
Nec metuenda illi, nec metuenda tibi.  
Mortua nata, inquam, verè sed vivere demum.  
Incipit, estꝝ; illi mors sua dulce lucrum.  
Scis hoc, hæc alijs dicis solatia, luctum.  
Hæc eadem uxori iam, minuantꝝ; tibi.

M. Bartholomæus Stoschius.

TE qvoq; , Christjanæ fidei fidissima amatrix,  
Qvæ nulli didicit parcere Morta rapit!  
B Oin-

O inconstan tem vitam, quæ, cùm incipit esse,  
Spe nostrâ citius desinit esse etiam!  
Sed benè. Mors vitam, Mortem rapit altera vita,  
Morta malæ vitæ est finis, origo bonæ.  
Salueto ad superas ædes, sedesq; recepta,  
Aspiciens vultu candidiore D E U M.

Bartholomæus Schvvetke  
Olshensis Silesius.

**Q**UAS lacrumas, H U B N E R E, tuis lacrumatibus addam?  
quos numeros lacrumis? quas lacrumas numeris?  
Heu mihi & ô lacrumæ! quibus eheu fletibus isthac  
fata fleam miser ah. ah dolor, ah lacrumæ!  
Nescio! vos gemitus suspiratosq; dolores  
Vos volo vos fletus, vos volo, vos lacrumas!  
Vos volo: nam lacrumas naturæ postulat ordo,  
cum lacrumis numeros, cum numeris lacrumas!  
Sint comes & mæror, dolor, & tremor, horror & angor,  
ut fleam, & hos oculos effleam, & hoc cerebrum.  
Fibra humana mihi est; humanum credo dolores  
Si cui clausa cident funera sandapitis.  
Vos conclamatos & luctisonos ululatus  
Vos volo! sat cause est cur doleam! lacrymer.  
Heu dolor! hei lacrumæ! denata est nata parentis,  
H U B N E R I, ingenui, præcipuiq; viri  
B A R B A R A, barbaries, à qua procul abfuit omnis  
Occidit hei! eheu! vah dolor et lacrumæ!  
Occidit! heu! eheu plenis jam nubilis annis  
Faminei cecidit lumen honosq; chori!  
O dolor! o lacrumæ tenero sub flore iuventæ  
flos ceu mane virens sole cadente cadens

Occidit!

Occidit! heu florem mors demetit! & subito omnis  
vana parentum spes annihilata perit!  
O fluxas hominum res! & statuta tempora lethi,  
que Nemo in terris praeteriisse potest.  
O dura, unde Tibi tanta, Ilithyia, potestas  
cur vita fors tam luctificabilis est?  
O sortem duram mortalium! adire licet si his  
voto aulam parcarum; haut redeunt hilares!  
Haec nihil adjiciunt penso, nil illa diei  
quem semel instituit temporis addere vult.  
O vitam invitam! vitrum leve & ipse homo mortis  
Servus; pallidulum floris homo folium:  
Vivimus, at vita est series immensa dolorum,  
Sat hæc dura homini, conspicimus si hominem.  
Si vita est, crede est via, sed salebrosa & acutis  
Hinc atq; hinc horrens sentibus ac tribulis.  
Quid longa est! nisi longa mali patientia longæ  
Sortis amaricies cum ac gemitu & lacruminis  
Hic labor, hic curæ tristes & ubiq; querela!  
Ita vita iuncto mors comes atra pede.  
O miserum mortale genus lacrymabile semper  
ac fletu pariter dignior & lacruminis!  
Queris tam omnigena promanent unde misellis  
clades! tot fletus cum gemitu ac lacrume!  
Heu! scelus infandum primevi culpa parentis  
omnes nos Fati subdidit imperio.  
Hinc dolor, hinc lacrume sunt omnis & ansa malorum est,  
pro quo nulli non pena luenda homini est:  
Hinc mors cunctivorans vires acquirit eundo,  
Hinc natæ tristes itis ad Exequias  
Ah Fatum! Fatum lacrymabile & o miserandum,  
o deplorando fletibus Orbicolas!

Ast procul ô lacrumæ secedite, & ite dolores,  
nil his proficimus, his nihil efficimus.  
Nam lacrumis ea sors est inconcessa; dolore  
vitam defunctis ut revocare queant.  
Vos animæ aspectu Christi, cæloq; potitæ  
Ilicet humanum spernitis obsequium.  
Quin & ego incassum dum planctibus æthera pulsans  
prosequor exuvias, BARBARA chara, tuas.  
Frustra etenim reducem hic Te degere posse vovemus,  
addo, quod haud velles, optio si qua foret.  
Parce proin luctis pater ô, materq; beatam  
nec lacrumis querulis filiolam adfice.  
Desine ô exuvias, quicunq; es, flere; perennis  
Lex est. Qui cinis es verteris in cinerem.  
Lex est sed bona lex mortis, nam morte solutam  
mox animam hospitio suscipit Elysium.  
Hæc, Tibi, lucra necis peperit properatio, Virgo  
BARBARA, Dilecti sponsula facta Dei!  
Mutasti terrena bonis caelestibus! ô quam  
sunt hæc Terrenis anteferenda bonis!  
Hic paucos læto vixisti pectore soles,  
sed fermè assidue sollicitudinibus.  
Sæpè Tibi graviter tracti cruciatibus artus,  
atq; imposta Tuis crux mala sæpè humeris.  
Verè vita Tibi hæc fuerat mors, mortua Vita,  
Vivere non etenim vita, valere sed est.  
Nunc Te nulla premit sortis vis, nullaq; mortis  
Lis, sed lætifero gaudia corde refers!  
O Te felicem! nimis ô mutatio felix!  
quâ tantas fecit vita minuta vices!  
O miserum! hoc misero qui vitam ducere seculo  
cogitur, in quo sunt omnia plena malis.

Sperant



Sperant, dum spirant, homines semper meliora,  
optima sed pereunt, pessima quæq; aderunt.  
Debilis en mundus titubat, casumq; minatur  
ancipi cursu, dum supera infera eunt.  
Ventum est ad summum; finis certè advolat orbis,  
cuncta Elementa crepant, ac supera infera habent.  
Felices, mundo quos raptat funeris hora,  
hinc citò ad astra poli, cura ubi nulla soli.  
CHRISTE veni! ambrosiâ hanc & nectare pasce redemptam  
Sanctam animam, inq; solo qui sumus, adde polo.

Inter gemitus & lacrymas  
deducebat  
defunctæ consobrinus

Balthasar Nigrinus B. p. t. Generosi  
Domini Georgij Heinrici à Vir-  
ben & Freudenthal in literis &  
moribus Præfectus.

Non facile in tristes aptant se carmina luctus,  
sana nec ad cineres Musa animosa venit.  
Torpet, & ingratu se nomine Musa profanat,  
ultima mœrenti si pede busta locet.  
Tam dolor in causâ est! nec & indoluisse pudori est,  
cum ruit in cineres virgo novella suos.  
Sic mala sunt nimium, properataq; Fata puellis,  
non etiam vitent mortis ut insidias.  
Iam matura viro hæc fuerat, cùm funere M O R T E M  
invenit infelix rapta puella P R O C V M.  
Hoc magis at felix, quod, Fati ea gratia, M O R T E M  
non tamen invenit funere rapta V I R V M.

B 3

Non

Concessus Bonorum loco

Non matura proco, non hæc matura marito est,  
non etiam morti virgo rapina venit.  
Est matura DEo, solumq; hoc funere felix,  
juncta suo vivat virgo quod ista DEo-  
,, Funere viva suo valet hæc: nescit quoq; , juncta est.  
si qua DEo moriens innuba Virgo, mori.

f. Petrus Polenius Niss. SiL.

**Q**VIN, HVBNERE, doles, sandapilâ tibi  
Tristi terribilis quam tulit Atropos,  
Dirâ Morte necatam,  
Plenam tempore nubili  
Natam! spes equidem magna parentium  
AEvi delicum, cordolio queant  
Lucis qui sine magno  
Auras pignora linqverc?  
Atqui sacra sacri pagina Codicis,  
Respirasse tuam jamq; per æthera  
Dicens ima videre  
Quævis, mille vetat modis,  
Vt mortem mulier prima miserrimam  
Decepta intulerit Dæmonis astibus,  
Quæ mortalibus indé  
Cunctis æthercos neget  
Haustus; restitui singula singulis  
Tandem læticiâ corruerint ubi  
Vasti moenia mundi  
Illinc historias manet,  
Quid fles? clausa semel Fata tuo datur  
Non yoto aut lachrymis dêinde recludere,  
Sed concessa quietis  
Concedas, genitor, loca

Defun.



Defunctæ. Vcluti Verba Dei sciens  
AEquè conspicitur Pierio agmine  
Haut quisquam potis apto  
Solari similes sono:  
Sic tu quæso modum pone, dolor viri  
Ne flagrantior æquo siet optimi  
Ne vel vulnere major,  
Luctus jam semel anxii.

Aliter.

Nubere debebat; nam G N A T AE nubilis ætas:  
An mundo? an Christo? selige. Christus erit.  
Sponsus at à reliquis diversus: gaudia quidni  
Sint diversa ab eis qualia mundus habet?  
Sed bene! conjugium diversum est, ritè beatum!  
Luctum diversâ desine mente, parens.

Abraham Kirstenius  
S Theol. studiosus.

Q Vis desiderio sit modus aut qvies  
Q Tam caræ subolis! tundite pectora  
Palmis Frontigenæ, seu juga montium,  
Seu vos flumina nunc habent.  
Ergò Persephone dissecuit comas  
Nymphæ, cui Pietas eximia, & Pudor,  
Quâq; ipsum coluit, Religio, Deum,  
Qvando unam invenient patem!  
Multorum illa quidem gaudia non sinit  
Ire; at flebilior quàm reliquis tibi  
Hübnere, occidit, heu! non lacrumis calor  
Dilapsus revocabitur. Qvod

Quòd si trunca super funere carmina  
Ad noctem à Paphio sidere concinas,  
Natae non redeat sangvis amabili

Quam mortis semel horridæ  
Mandârunt tumulo spicula : sed tamen  
Hoc tristem nimiùm, sollicito levet  
Luctu, quòd superis juncta cohortibus  
Mens divina canit mele.

### AD T V M V L V M.

**Q**Væ Paphiam formâ vicit, pietate Rebeccam  
Hübnero hoc tegitur nata puella solo :  
Gratiæ ab Orchomeno, miserum deducite lessum,  
Debuit hæc vestri qvarta fuisse chori

Condolentiaæ caussâ

Facieb.

Michaël Kirstenius.

---

Alloquitur mœstos defuncta Virago Parentes.

**A**Nne ideò lacrumis miscetis dicta Parentes,  
Quod me Morta suo iam rapit hincce sinu?  
Annè ideò tristi turbantur viscera motu,  
Quod Rhadamantéos ante diem ivi ad agros?  
Vita quid est? dolor, exsilium, tristisque querela  
Perpetuus labor est; tristiciæque marc.  
Qvocunque adspicio, nil est nisi lerna malorum  
Pessima , vah fraudes ! undique nulla fides.

Spera.

Speramus meliora, sed heu! peiora sequuntur,  
In promptu causa est, fit quia peior homo.  
Quare experta simul vitae mala claustra relinquo.  
Et me participem culmine malo poli.  
Quid tandem fletus? succedant gaudia, me non  
Corripuit L A C H E S I S tetrica, sed rapuit;  
Nec mentem rapuit; tenerum sed corpus in urnâ hâc  
Quod cubat, æterni mens videt ora DEI.  
Fors etiam illa propinqua dies, quâ corpora reddet  
Magna Parens, gremio quæ fovet alma suo.

Mæstitudinis calamo & amoris sincerj  
stimulo fb. Strelæ. siL. Agnatus.

Johannes Francisci SS.  
Theol. Studicus.

**N**on est, crede mihi, sapientis dicere vivam,  
mors medijs latet hæc abdita visceribus.  
Nimirum hæc sors est nostræ incertissima vitæ  
ut nec opinantes invida nos rapiat.  
Sic abit ante diem tua BARBARA nomine, non re  
HYBNERE, ast abitum hunc esse putas obitum.  
Non etenim illa obijt, credas abiisse præisse  
Sunt obitus abitus, dum nova vita beat.

Pietatis testandæ caus  
scrib:

Bartholomæus Nigrinus Iunior.  
B. defunctæ consobrinus.

C

Cur

**C**ur adeò moëstis corruptis ora querellis?  
Qvis dolor adsiduè pectora vestra gravat?  
Irato Lachefin cur ore lacessitis atram?  
Num rapidâ vobis abstulit illa manu  
Qvòd caram Natam, forma & pietate nitentem!  
Delicias vobis qvæ dare debuerat.  
Non ideo tanto decet indulgere labori:  
Nulla etenim vobis caussa doloris adest.  
Lætos qvin potiùs vultus diffundite, Nata,  
Sit qvòd rapta solo, sitq; locata polo.  
Nunc ubi perpetuæ sentiscit gaudia vitæ,  
Adspectu æterni gaudet & ipsa Dei.  
Mox erit ille dies, quo Ihôva dante vicissim,  
Iunget disjunctos nos nova vita polo.

# Ionathanis Tileſii

**Q**Vid' precor indigno juvat iudulgere dolori,  
Quid juvat indomito pectore fata queri?  
An juvat h̄ic gemitus? si quam semel atria céli  
Suscipiunt, luteas non reddit illa domos.  
An juvat h̄ic fletus? vitæ quæcunq; labores  
Finiit, exactum non remeabit iter.  
Nil dolor & gemitus, fletus nil efficit ingens,  
Filia sidereâ sede quieta sedet.

## Parcite

Parcite tristitiae, indignum vos ponite luctum,  
Dissociata solo sunt socianda polo.

debitæ observantiæ ergo instituta  
â  
Christiano Tilefio.

**V**Ita quid? exiliū. qvid cœlum? patria. Mors quid?  
Semita credenti. quis neget ergo mori?

Ehrenfried Tilefius.

TROCHAICVM CATALECTVM.

**H**æc quid est caduca vita? cedimus vitæ è brevi,  
Vivimus dum tempora.  
Ista vitæ ac munera.  
Et benè hîc cùm fata claudimus novissima, altera  
Tùm inchoamus tempora  
Lucis, atq; gaudia.  
Mira sors est omnium rerum! nequisse vivere  
Singulos, nisi prius  
Desinant hîc vivere!

Vita certè humana non est vita! sed doloribus  
Plena sentina est ea!  
Ut caduca bullula!  
Sicut agri flos, velut rosæ, nitent qvæ manè, pòst  
Uesperi langvent, & est  
Mœror, error plurimus.

C 2

Subse-



Subsequens verò altera æviterna erit, nec ulla mors.

Tetra ibi, nullus dolor!

Gaudium est, vita ac amor.

Ergó BARBARÆ, parentes, ne nimis vos funera.

Flete, quin magis benè

Ferte fata tetrica!

Functa vitâ est hac enim, nunc vivit in cælis, ovat,

Gaudio utitur, suum

Aspicit summum Deum.

### DISTICHON

diem & annum

defunctæ continens.

FebrVlerat LVX bIls DenalVna , Vt BARBARA Morte

VIrgo rapta fVlt! næ redIVIVa Venlt.

MartInVs Knobell DorffIVs.

Reichb:Sil:

Omnis homo est veluti rosa, quæ silvescit in agro

Pingvi, ac exiguo victa calore jacet:

Et nihil est aliud vita hæc nisi pulvis in horto,

Quem ventus subitō saxa per alta trahit.

Exhibit exemplum cuius formosa puella,

Astrorum quam nunc vis rapuit teneram:

In quâ vnâ stabat chari præclara parentis

Cura: gravis curæ hæc dulce levamen erat:

Ac



Ac etiam firmum solamen Barbara matris  
Hæc semper, nec non cordis asylon, erat.  
O dolor: ô lacrumæ: ô Parcæ non parcere vultis:  
Quis furor immitis pectora vestra subit?  
E saxis natas, nutritas lacte ferino  
Vos puto, vos placidum pectus habere nego.  
Tristia vix dederant te, ô chara puellula, fata;  
Invida te rursus Cynthia surripuit.  
Heu cecidit, cecidit virgo charissima matri,  
Secula quæ digna hîc vivere longa fuit.  
Blandula virgo, tenellula virgo, venustula virgo:  
Non peritura cadit, sed redditura cadit.  
Ergò pater tristis, cui jam pars maxima cordis  
Sumitur, & terræ fertur ad ora Tibi:  
Ad te Musa venit tristis mea, pallido & ore,  
Vestibus & nigris, flebilibusq; oculis;  
Et rogat, vt sistas lacrumas: quoniam orbis in oris,  
Mors, non mors, vitæ est, at melioris iter.  
Tristitiæ esto modus: voluit sic Trina potestas:  
Post funus lacrumæ nil, gemitusq; juvant.  
Non obijt: sed tantùm abiit, cœlestibus oris  
Nunc fruitur, læta & vivit amore Dei.

Honoris ergò adposuit  
Casparus Crusius  
Fridebergà Silesius.

QVæ sibi longævos forsan speraverat annos,

**Q**Hanc manibus rapidis, mors truculenta, rapis.

Tu fore perpetua abreptæ monumenta putas ne?

Eripiet rapidis, Mors tua, de manibus.

Frustra igitur manibus rapidis tibi rapta puella est

Mancupium illa DEi, non tibi rapta datur.

*scrib.*

Caspar Wolffgrüber.  
Hirsberg.

**S**Ole meante velut viridi flos floret in agro,

Et moriens pariter sole cadente cadit:

**B A R B A R A** sic florens H V B N E R I gnata politi

Heu præmaturâ morte necata cadit;

Morte necata cadit; cœlestis gaudia verò

Terrestri vitæ morte necata capit;

Morte necata capit longævæ tempora vitæ,

Est ubi summa quics, gaudia risus, amor.

*fecit*

Johannes Drümell  
è Boleslā, Silesius.

B R E G Æ  
Typis Casparis Sigfridi.







Elenctis contentarum.

Bismarci vita et res gestae theologorū orthodoxorū recent.  
MASNERI Fides Jobi.

concilium oecumenicum octavium.

ULB Halle  
003 509 435

3



SLB:

V3 17



### Farbkarte #13

B.I.G.	
Black	White
Magenta	Red
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

BARBARÆ HVBNERIÆ,  
Suavissimæ,

Virgineiq; pudoris ad exē-  
plum planè Castissimæ

Puellæ,

Reverendi ac Doctissimi Viri,

JOHANNIS HUBNERI,

Archidiaconi Strelensis fideliss.

F I L I Æ,

quam

Mors Immatura,

*Ex Vita hac conducticia  
ad perpetuam & cœlestem  
transtulit*

A N N O  
M. DC. XII

Dic xxi Februarij.

M E M O R I A

Dies mortis æternæ vitæ natalis est.

